

Bibliothèque numérique


medic @

**Brun, Anne - candidat / Levacher,
François Guillaume - président. - De
dentitionis accidentibus**


1767.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***


Cote : ms 2343, n°23



1767








ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO
DD. AIMARDO-JOANNI
DE NICOLAY,
REGI AB OMNIBUS CONSILIIS,
SUPREME RATIONUM CURIE
PRINCIPI.

Z



INSTITUTIO DE DENTITIONE
AUCTORIS JOHANNIS
DE NICOLAY,
PHYSICI AGRICULTURAE
SOCIETATIS RATIONUM
FRANCOE

2



DE DENTITIONIS ACCIDENTIBUS.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



HOMO nascens, ut plurimum, Dentibus destituitur. Sapiens rerum omnium ordinatrix natura, primos infantulorum cibos matris maternis commisit, duriorumque horum corpusculorum originem, ad illud tempus transtulit, quo futura sunt necessaria. Ubi namque infirmam ineuntis vitæ teneritatem excepit ætas firmior, cibusque puer utatur solidioribus, crescentis postulat corporis robur; tunc eadem alma mortalium parens, natorum commodis invigilans, maxillas Dentibus instruit, quibus solidiora alimenta permolere queant, & destinatos in usus elaborare. Prima verò illa Dentium eruptio, tot tantisque ansam præbere potest accidentibus, ut plurimi infantes, nisi opportunum ipsis accesserit à Chirurgiâ auxilium,

A

tunc temporis, è medio, tollantur, vitæque beneficiis antè defraudentur, quam ipsa sentire potuerint.

CUM autem pro variâ morborum naturâ, diversa instituenda sit *Therapia*, & utramque partem illustret Anatomia, quasdam notiones Anatomicas hîc præmittere juvat, quoque potissimum mechanismo Dentes erumpant, exponere.

E X A N A T O M I A.

RUDIMENTA Dentium sunt concreciones mucosæ, sub gingivis latentes, & in alveolis nidulantes, quæ, quando juxta naturæ leges, eruperunt, creverunt, in ossa tandem durissima convertuntur; & utriusque maxillæ limbis infixæ, humanum os non mediocriter exornant.

ALVEOLI, sive *præsepiolæ*, *locelli*, aut *mortariola*, cavitates sunt in maxillarum limbis insculptæ. In recens nato, jam numerantur viginti, extrinsecus totidem tuberibus conspicuæ. Intrinsecus tenui laminâ circumscribuntur. Singulæ laminæ ab imo fundo erectæ, sibi que à lateribus connexæ, tanquam claustra, cavitates dividunt.

MEMBRANA in plures lamellas divisibilis, efformat sacculos quasi quosdam in alveolis contentos. Hi sacculi infimâ de parte tenuiores, circa gingivas crassiores, & parte mediâ ampliores esse videntur: gingivis arctè uniantur, & ad internam præsepiolarum superficiem, fibris nerveis, cæterisque vasculis alligantur, quæ hîc è proximis orti truncis, fundum præcipuè percurrunt. Eorumdem unusquisque veluti matrix, Dentis germen continet, ipsique vasa illius nutritioni necessaria subministrat.

PONÈ alveolos producuntur sex fasciculi vasculares, quorum duo maxillam inferiorem à parte posticâ & internâ subeunt; quatuor superiorem, horumque duo ipsam à parte anteriori; duo à parte posteriori, invadunt. Ex nervis, arteriis & venis constantur, ipsisque vaginam præbet periosteum. Nervi à quinto pari ortum ducunt; arteriæ è carotide

externâ nascuntur; venæ arteriarum facie, acceptum ab iis sanguinem in ramos ad venam jugularem properantes, infundunt. Singuli illi fasciculi canali osseo in maxillarum substantiâ excavato inclusi, per easdem iter legunt, diploem pererrant, internam illorum ossium substantiam percurrunt, ac nutriunt, & ramos per minores canaliculos viâ rectâ ad alveolos tendentes, emittunt.

GINGIVÆ alveolorum aperturas obsepiunt, conteguntque maxillas. Spissiore dixeris taniam ex periosteo, carneque peculiari conflatam, quæ secundum illam maxillarum partem extenditur, quæ in adultis Dentibus instruitur. Nec solum ex externo, cui firmissimè adhæret, periosteo componitur; sed etiam ex reflexâ crumenarum membranâ cui pariter unitur arctissimè: textus hinc exurgit firmior fibris curtissimis, secumque invicem appressis, & intricatis donatus. Nervis ramen vasisque sanguineis pervius est & totum quoddam efformat continuum communiori internâ membranâ comprehensum. In infante, tenuior ac pallidior est, & juxtâ alveolorum aperturas, rugam efficit Dentium eruptione delendam.

CONCRETIONES Dentium rudimenta efficientes, pediculo membranaceo & vasculari alligantur in crumenarum fundo. Diligenter consideratæ videntur componi ex textu cellulari tenuissimo, qui liquore gelatinoso irroratur, impleturque, & circumdatur membranâ germi propriâ cui *Choroidis* nomen assignavit celeb. Duverney (a). Glabra est & pellucida illa membrana, sat spissa, ramen mollis & meabilis, pluraque vasa admittit. In ejus superficie externâ, propè pediculum, sternitur rete sanguineum, ramificationes in germen emittens exilissimas. Rudimenta primò translucetia, gradatim incrementum, consistentiam, & colorem obtinent, tandemque Dentis producendi formam induunt.

GERMINA sensim imbuuntur pulti quâdam lacteâ quæ lentâ exsiccatione, magis ac magis concrefcit, & in lamellas alias aliis substratas indurescit. Circa septimum à conceptu mensem, prior lamina, instar pileoli quodam lentore inter-

(a) Vid. Œuv. Anatom. de M. Duverney, tom. I, p. 551.

posito, plura contegit germina quâ parte gingivas spectant. Huic lamellæ, aliæ succedunt laminæ corpus Dentis efformaturæ. Earum compages substantiam quamdam efficit ab osseâ valdè diversam, quæ substantia existit albissima, solidissima, acidis tamen prorsus solubilis (a). Ex situ & officio partem osseam munitura, à Malpighio *involucrum adnatum*, nuncupatur (b), vulgòque *incaustum* vocatur.

INCAUSTO jam inchoato, germen paulatim in os convertitur. Ossificatio ab externo ad internum progrediens, notante celeb. Merry, lamellis perficitur cylindricis alias subnascentes inclusuris (c). Illæ verò laminæ ab extremitate germinis gingivis infixæ, producuntur: & tenui limbo flexibili, pellucido, cornu formam referente, ac germen circulariter amplectente, terminantur. Interiores diametrum minorem habentes, assiduè superant terminum exteriorum sibi contiguarum, & sic osseâ pars conicam acquirit figuram. Universæ autem laminæ, lapsu temporis, ad eam soliditatem perveniunt, quæ ossa constituit. Ab imo ducta incausto choroides, lamellas osseas contegit, nec ipsis, dum efformari incipiunt, adhærescit; sed progrediente vitâ, parti osseæ unitur intimiùs, ipsiusque fit periosteum.

DENS duas habet partes præcipuas, *corpus & radicem*. Corpus simul ex incausto & parte osseâ conficitur. Radix prorsus est osseâ, & periosteò tegitur. Utrumque fecernitur à lineâ leviter striatâ quæ *Dentis Collum* nuncupatur.

CORPORE jam efformato, *Dens* à radice crescens, & alveolo compressus, gingivas resistentes distindit, perforat, & lento gradu corpus offert, ita ut alveolo infixæ radix quasi clavus, ipsi adhæreat firmissimè.

ERUPTIO Dentium à græcis *ὀδοντοιασις*, à latinis *Dentitio*, successivè duobus, ut plerumque stadiis peragitur: undè in primariam & secundariam dividi solet.

PRIMARIA, pueritiæ tempore perficitur, comprehendit-

(a) Vid. Acta. R. S. Acad. Par.

(b) Op. Posth. p. 51.

(c) Hist. R. Scient. Acad. nov. edit. cap. 7.

que Dentes viginti qui *lactei* vocantur, & in modum pectinis ordinantur. Ratione eorum formæ & usûs, in tres classes dividuntur, nempe, in *Incisores*, *Caninos* & *Molares*. In utrâque maxillâ, incisores quatuor, corpore lato, externè convexo, internè concavo, & in limbum secantem desinente, anteriùs conspiciuntur. Duo canini à lateribus sequentes, unus utrinque, corpore crassiori & acuminato donantur. Molares octo, corpus ferè quadratum habent, eminentiâ quadruplici terminatum. Quaterni sunt in qualibet maxillâ, duo hinc & indè collocati in parte posticâ. Dividuntur in *anteriores* & *posteriores* prioribus volumine majores. Cum erumpunt Dentes, radices vix inchoatæ in singulis desiderantur.

HÆC primaria Dentitio, septem, post nativitatem, mensibus, plerumquè incipit à maxillâ inferiore, & rarè antè duos annos perficitur. Incisores medii in utrâque maxillâ sese vicissim ostendunt priores. Deindè laterales, suo ordine sed bini, emergunt, postea canini & molares. Isti quatuor, nempe duo similes, in maxillis simul eduntur. Modo canini, modo molares anteriores præeunt. His egressis, molares postremi foras prominent, & eorum exitus periculum pueris imminens tollit.

Ex illis viginti Dentibus, duodecim priores aliis stabilioribus renovandi, aliquot post annos fluere debent. Dens ejusdem formæ ac figuræ, tamen majoris voluminis, singulo incisori & canino succedit. Aliter verò molaribus anterioribus evenire notandum est. Pro quatuor enim, nascuntur octo, duo scilicet in sede uniuscujusque (a). Isti prægressis dissimiles, corpus habent minus crassum & biffidum, *molares minores* vocantur. Alii quatuor molares primæ Dentitionis, in ordine servantur; primique inter molares majores, in sequentibus numerandi sunt. Hæc nova series, aliis octo nascituris, nempe quatuor mediis, totidemque moderatoribus, formatur: & completa, Dentibus triginta duobus constat; eaque dispositione tam pulchrâ, tamque aptâ, ut in admirationem trahat, summique opificis sagacitatem demonstrat.

(a) Berrin, Osteol. tom. II, pag. 278.

DENTITIO secundaria, circa quintum annum à molaribus mediis orditur; à septimo circiter anno, ad decimum-quartum, aut decimum - quintum, continuatur lacteorum renovatione quæ, secundum progressionem eorum adortus peragitur: tandem absolvitur moderatoribus qui, non nisi in proVectiori ætate, munus obeunt. Nec desunt quibus per totum vitæ curriculum, deficiunt. Hic est genuinus naturæ in Dentitionis negotio progressus; sed res aliquandò longè aliter se habent, nimiaque diversitas impedit quominùs certi quid ultra proponamus.

EX CHIRURGIA.

Ex dolore, Dentitionem ineluctabiliter concomitante, quædam nascuntur symptomata quæ crescunt & perdurant ad egressum usquè Dentis perfectum, ac eadem denudò apparent quotiescumque novos, contingit erumpere. Istius doloris ratio liquet, quod Dentibus exitum molientibus, vi maximâ dilatentur alveolorum parietes, dum earum pars superior, & gingivæ dilacerandæ ac perforandæ, summoperè tenduntur. Partes autem nervosæ quæ Dentium germina circumstant, his effectibus naturalibus, licet gradatim productis, tamen distrahuntur, & eo majori divulsione irritantur, quo promptiùs augetur Dentis volumen; præterea experientiâ constat, cæteris paribus, caninos & molares, ut pote volumine majores, molestiam afferre graviolem quam incisores qui sunt tenuiores & secantes. Et si dolor essentialis sit dentitioni, non attamen semper idem indè periculum exurgit, quem etenim multi perfacilè sustinent, ab eo alii præ accidentibus opprimuntur.

CUM in Dentitione varientur circumstantiæ, diversus etiam dolor est, diversaque oriuntur symptomata. Pluribus enim Dentibus simul emergentibus, augetur dolor; eaque duritie quâ gingivæ potentiùs & diutiùs resistunt, acrior fit; indèque alia aliorum Dentium exitui impedimenta: ora alveolorum firmiora, obex quem emerfuris offerunt Dentes jam egressi, spatium coarctando, ut recenter notavit D. Levret (a),

(a) *Essai sur l'abus des Reg. gén. p. 320.*

compressionem ad imum alveoli determinant, membranas intus vestientes inflammant, funiculum nerveum tenui duntaxat tectum lamellâ, vel etiam denudatum (a) irritant, & accidentia quæquæ sævissima apud infantes excitant, licet aliundè sanissimos. Plethora insuper & cacochimia symptomatum gravitati & varietati addunt, doloremque accendunt & augent.

Ex his omnibus diversis causis, varia oriuntur symptomata, alia alijs graviora. Dividuntur in *primitiva* & *consecutiva*. Quæ à tensione gingivarum, aut fundi alveolorum compressione immediatè pendent, *primitiva sunt*. Quæ autem oriuntur à diversis functionibus, illâ distractione, aut nimia pressione, *læsis, consecutiva* dicuntur. Si enim distractio gingivarum usquæ ad certum producat gradum, aut si nimia existat compressio, quidam circulus ruber efformatur quò circumscribitur albedo in summitate gingivarum apparens & subito inflammatio sequitur. Sæpè etiam intra breve tempus exurgunt convulsiones quæ eò leviores aut sæviores sunt quòd vel à solo periosteo distracto, vel à funiculo nerveo compresso, vel à duobus simul pendeant. Innumera alia symptomata, pro variâ circumstantiarum diversitate, oriri quoque solent, ciborum nempe fastidium, pyralisus, alvi fluxus, sæpèquæ dejectionibus æruginosis, stipatur. Hæc omnia accidentia alia nova pariunt. Inflammatione excitatur febris, os æstuat, sitis urget, vultus rubescit, amygdalæ & parotides intumescunt, quandòque in suppurationem abeunt. Si febris suâ vice fiat diuturnior, aut adsit prava humorum dispositio, pessimam indolem contrahit, pustulæ erumpunt, aphthæ in ore, labia jam tumida fissuris defædantur. Saliva in tracheam deffluens, tussim; in ventriculum verò, vomitum excitat; illiusque salivæ acrimoniâ, ventriculi intestinorumque inflammatio producit. Convulsionibus autem irruentibus, alvinæ secretiones sistuntur, pectus premitur, oneratur cerebrum, abdomen prominat, ferè suffocatur infans, apoplexiâ corripitur. Quandòque hemorrhagia è naribus, oculis & auribus promovetur (b); tandem mors citius ociùs, pro viribus, ultimam mali lineam ponit.

(a) Ut pluries invenisse testatur D. Bertin. Ostcol. tom. II.

(b) Vid. Æti. t. 4, p. 68.

QUANDÒ infantes perpetuò ad vultum manus ferunt, pertinaciterque gingivas fricant, ac nutricis papillas mordicis apprehendunt, tunc nuntiatur Dentitionem imminere. Vultus intumescencia & ptyalismus, ejus progressum indicant. Dentium autem numerus & species, loco dolenti, mutatâque gingivarum conditione, demonstrantur. His phenomenis quæ sunt signa pathognomonica, declaratur *diagnos*, quæ tenebris obvolvitur quandò alvi fluxus, febris & convulsiones præeunt. Illa namque inter signa æquivoca, recensenda esse, nemo est qui non videat. Cum igitur infantes, circa consuetum Dentitionis tempus quibusdam accidentibus subito corripiantur, ut error depellatur, plurimi interest pro Sidenhami monito, considerare morbos grassantes (a), aliasque causas quibus ista accidentia produci possunt: & dubitare non licet quin à quibusdam Dentibus erupturis pendeant, si accedat ptyalismus, aut vultus partes convulsionibus exagitentur, & oculi convellantur.

SPECIE verò, numero & acerbitate symptomatum, facilis aut difficilis judicatur Dentitio. Primitiva nil mali portant. Dentibus enim egressis, statim evanescent, eorumque effectus sensim natura vincit. Consecutiva verò, & accidentia quæ ab iis procreantur, ominosa sunt: neque tamen idem periculum est. Febris non per se, sed diurnitate vehementiâque, metuenda (b) si succedat convulsionibus, felicitis ominis est. Inflammatio febrim intensiorem reddit; hæc si fiat validior, satis citò in gangrænam illa terminatur, præcipuè cum acrior adest humorum indoles. *Levis alvi fluxus est desiderandus.* Ex Hypocrate, pueris qui cum tussi dentunt, Dentes tardiùs erumpunt, & in punctione major sequitur extenuatio (c). Si fæces alvinæ fiant æruginosæ, pro malo habendæ: eâ coloris mutatione ducuntur Practici ad Sensorii communis & totius nervorum sistematæ perturbationem suspicandam (d). Illa autem perturbatio magis est timenda, cum Dentientes altiori somno premuntur, aut alvum duram habent, & caput molis amplioris; minùs verò, cum de nocte sunt irrequieti,

(a) Vid. Schedul. Monit. de nov. Feb. Ing. p. 674.

(b) Hippoc. Lib. de Dentit. Chart. tom. 7, p. 871.

(c) Ibid.

(d) Wanfv. in Boerth. Aph. p. 664.

& solito morosiores (a). Ex omnibus accidentibus supra memoratis, convulsiones periculosissimas habemus, de illarum *prognosi*, sic statuit clar. Puzos. Spes quædam salutis affulget, ubi à se invicem distant insultus convulsivi, dummodo, post convulsiones redeat spiritus, & in auxiliis suppeditandis, nulla adhibeatur mora: contra verò si convulsiones crebrò recurrunt, lethum expectandum est, vel morbus aliquis gravioris momenti instat. Idque præcipuè sit, ubi infantes ubera respuunt, aut ubi sopore obruuntur; quod quidem symptoma, in puero, ominis longè pejoris est, quàm in adulto (b).

DENTITIO, cum merum sit opus naturæ, ipsi committenda, si placidè perficiatur: non tamen parvi pendenda auxilia quæ huic favere queunt. Regimini congruo incumbere, præstantissimum est, & ablactationem, usque post Dentium vigenti, aut saltem sexdecim egressum, differre tutius (c). Corpora etiam quæ inter gingivas interposita, nimia duritie, vel ipsas callosas reddere possunt, vel dentes explanare, ideoque eminentias delere quibus gingivis perforandis aptiores forent, diligenti curâ avertere, maximi interest. Quapropter, contra sententiam celeb. Andry, crepundiorum adhibitio hocce priore tempore nobis reprobanda videtur.

DENTITIONE verò jam instante, primò gingivarum relaxationi & molliti ei studendum: in quem scopum adhibeantur butyrum, axungia gallinæ, aut alia, ad libitum, emollientia. Deindè pruritûs leniendi causâ, cautè digitis fricentur gingivæ, mandendaque puero præbeantur glicirissæ aut radices *althææ frustula*. Dentes foras prodire nitentes, tunc tutò per crepundia adjuventur. Illos enim tunc solidos inter & crepundia, attritæ gingivæ, faciliùs perforabuntur. Gargarismata interim refrigerantia, & leviter glutinosa, ad oris lotionem non omittenda judicamus.

Si verò quædam superveniant accidentia, ea, pro eorum naturâ, sunt debellanda. Topicis emollientibus, antiphlogisticis, & anodinis, sedentur inflammatio & dolor: compescatur calor febrilis, diluentibus, demulcentibus, ac temperantibus. Gangræna sistatur antiseptiis, inter quæ lau-

(a) Hippoc. de Dentit. tom. 7. p. 871.

(b) V. Puzos. de Morb. Infant. art. de Dent. Rachiti & Convuls.

(c) Vid. Clar. Levet, p. 315. *Du tems de sevrer.*

(d) Orthop. Tom. 2. p. 210.

datur acidum salis marini melli rosato mixtum (a). Convulsiones levibus hypnoticis & antispasmodicis sedentur. Ideò linimentis nervinis, collum & scapulæ inungantur. In quocumque casu expedit alvum cieri, tam ad primarum viarum sordes eliminandas, quam ad revulsionem capiti salutarem obrinendam. Hujus rei causâ, elismata injicienda sunt simplicia, & doloribus temperatis, laxantia; propinanda etiam sunt cathartica blandiora, vel pro necessitate, aliquot grana kermes mineralis, vel radices brasiliensis, aut parva dosis tartari stibiati. Si febris adsit vehementior, sanguinis missio (b) è brachio ope lanceolæ, aut hirudinum infra aures (c) præmittenda est. Convulsionibus irruentibus repentinam sapphenæ sectionem, iteratamque, pro re natâ, prescribit D. Puzos (d) ut deindè præbeantur aliquot grana kermes mineralis in quodam liquore antispasmodico, aquâ nempe florum tiliæ diluta. Exercit. noster Clinicus notat hoc medicamentum ad scopum rectius conducere, quam alia quæ specifica habentur.

CUM autem illa curatio plerumquè deprehenditur inanis, imò etiam nocua, vires enim frangit ubi diutiùs usurpatur; ad aliud ergò curandi genus accedat, ut causa morbi prorsus avertatur; compressio nempe, quâ sublatâ, memorati certò tollentur effectus.

PRO impedimenti varietate, varius est curationis modus adhibendus, ut auferatur. Si à gingivis pendet, illæ, juxtà Paræum, incidendæ sunt (e), & scalpello cautè usquè ad Dentem adactò, sunt etiam aperiendæ, donec totus dens pateat, & nihil supersit quod resistat. In omnes Dentes, qui contigui prodituri sunt, producendam esse incisionem, docet Guillemeau, lineâ quâdem in arcum directâ super incisores; decussatâ verò, super caninos & molares (f). Ubi Dentes jam egressi Dentibus exituris faciunt impedimentum, quod de caninis & molaribus. D. Levret annotavit, primos in eo casu nocentes evellere oportet (g). Quæ quidem operatio forcicis

(a) Wanfw. In Boerh. Aph. t. 4, p. 664.

(b) D. Levret. Lib. citato, p. 328 & seq.

(c) Sydenh. de nov. Feb. ing. p. 673.

(d) *Malad. des Enfans*, p. 275.

(e) *Œuv. Chirurg.* p. 751.

(f) *Œuv. Chirurg.* p. 425.

(g) *Essai sur l'ab. des Reg. gén.* p. 326.

ope facile perficitur. Si dens in alveolo firmiter propter loci angustiam retineatur, præmissâ incisione, gingiva in eâ parte ubi compressio animadvertitur, erit incidenda, & alveoli parietes, fabrili scalpro dividendi erunt, ut apertura fiat amplior, densque facilius emergat. Si fasciculus vasorum nimium prematur, post celebratam crucialem in gingivas incisionem, alveolique sectionem, tam à parte maxillæ externâ, quàm internâ dens aprâ volcellâ apprehendendus est, & aliquantisper sublevandus, aut etiam plane evellendus (a), ut subito desinat compressio calamitosa.

OMNES illæ methodi diversæ, in praxi admittendæ videntur, pro diversis casibus, quia singulæ propriam suam habent utilitatem ad obstaculum occurrens auferendum; gingivarum enim, ubi obstant, incisio palmaria est; aliis autem impedimentis, nil profuit amovendis. Jam verò ab illâ celebrandâ deterrere non debet dolor, nequè peculiaris actio, cum gingivæ, obtusi prorsus sensûs sint, & illa operatio naturæ vices perfectissimè adimpleat. Nec majus aliæ periculum inferunt operationes, confidentique animo suscipi possunt.

OPTANDUM superest ut tempus prædictorum mediorum adhibitionis, tam præcise determinari possit, ac talis therapie patent utilitas & possibilitas. Successus enim non minus ab illâ circumstantiâ, quam mediorum præferentiâ, pender. De quâ tamen doctrinâ inter-se valdè discrepant scriptores: nec desunt sibi confidentiores, qui insignem Dentis ex alveolo progressum constanter expectandum esse rati, temeritatis notam inflixerunt iis qui symptomatum violentiâ perterriti, ad Chirurgiam festinanter recurrendum esse judicarunt. Hodierna Pathologia hujus Chirurgiæ Dentitioni tam proficue opportunitatem lumine suo conspergens, illos ab hac-ce injuriâ vindicat. Plures enim agnoscuntur causæ quæ Dentibus emerfuris invincibiliter obstant, adeò ut multa inde nascantur accidentia quæ procrastinationem eo periculosiorem reddunt quo graviora sunt. Omnes autem illæ indicationes non sunt æque perspicuæ, & quædam non nisi accidentibus conjiciuntur. In tali dubio, symptomatum urgentiæ potiùs consulendum, quam Dentium emer-

(b) Bert. Oseol. tom, II, p. 281.

fionis gradui, ne cunctatione imprudenti occasio fugiat præceps. Quot & quanta enim febris & convulsiones in corpore tenero, pericula peperirent, si diuturna foret compressio, horum symptomatum fomes & causa.

QUOTIES dubius obstaculorum remanet concursus, non evidenter sese offerunt medendi media. Statim atque tamen de compressionis loco certò statui potest, per gingivarum scilicet albedinem, quæ in Dentitione difficili sæpè sæpius circulo rubro circumscribitur, tunc gingivarum incisionem, ut pote operationem simpliciore, præmittere congruum. Si accidentia à periosteï distentione unice pendent, ipso inciso sedantur. Si forsan Dens non nisi diù post operationem prodit, citò tamen celebrasse neminem pæniteat; nunquam enim inconsultò, nec promiscue suscepta fuerit, quoties febris pertinacior, ut plerumque occurrit, quando molares, præcipue postremi, exitum moliuntur. Nullum denique malum affert incisio, aut saltem minus quam quod oriretur ex febris diuturniori. Ideòque *Harris (a)*, *Palfin (b)*, *Lieutaud (c)* eam plus æquo pertimescere videntur. Si vero ista operatio compressioni auferrendæ sit impar, ad quasdam ex prædictis recurrendum est. Molarium jam egressorum evulsio indicatur spatio angustiori quod remaneret caninis aut molaribus postremis modò exituris. Imprudens atque præmaturata adhibitio crepitaculi, quâ alveolorum limbi curvari potuerunt, eorum sectionis necessitatem suadet quam specillum confirmat. In convulsionibus autem frequentioribus, Dentis nitentis exitum sublevatio aut etiam ejus absoluta ablatio celebretur, ut statim desinat compressio fasciculi nervei quâ hi motus convulsivi excitantur. Hæc porrò methodus eò præstantior apud nos habetur, quòd in Nosocomio dicto *La Salpêtrière*, plurimi infantes visi sint, qui Dentitione asperâ laborantes, illâ vel istâ ratione, pro vario casu susceptâ, ad vitam & sanitatem revocati sunt.

QUÆCUMQUE celebretur operatio, ut prosperè succedat, sanguinis profluvium, si nimium sit, sistendum est; gingivarum inflammatio sedanda vel debellanda, quod per se patet; nequè quemquam latent media quibus hîc finis intentus obtineatur.

(a) De Morb. Infant.

(b) Anatom. Chirurg.

(c) Synop. Univ. Prax. Medic. p. 507.

13
*Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-
GUILLELMO LEVACHER, Artium & Chirurgiæ Ma-
gistro, Regiæ Chir. Academiæ Consiliario, nec non in
Scholâ Chirurgiæ Practicâ Professore, tueri conabitur,
ANNA BRUN, Claromontanus, Artium liberalium in almâ
Universitate Parisiensi Magister, & Nosocomii generalis
Parisiensis in domo dictâ La Salpêtrière, olim Chirurgus
præcipuus, Theses Autor.*

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS

*Die Sabbati, 24^a. Octobris, anno salutis 1767, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis P. AL. LE PRIEUR; Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

1
The first part of the paper is devoted to a description of the
method used in the investigation. The results are given in
the following tables. The first table shows the number of
cases of dentitionis accidentibus in each of the
years from 1880 to 1890. The second table shows the
number of cases in each of the different parts of the
country. The third table shows the number of cases in
each of the different ages. The fourth table shows the
number of cases in each of the different sexes.

TABLE I
Number of cases of dentitionis accidentibus in each of the
years from 1880 to 1890.

TABLE II
Number of cases of dentitionis accidentibus in each of the
different parts of the country.

TABLE III
Number of cases of dentitionis accidentibus in each of the
different ages.

TABLE IV
Number of cases of dentitionis accidentibus in each of the
different sexes.

Typo. P. & A. in the Printers, 1891.